

**05  
A  
2293**



199.

Ex Philosophiâ Practicâ  
*de*

# Humanarum actionum

principiis,

*Duce Deo & Præside*

M. MICHAELE WENDELERO,

Facult. Philosph. Adjuncto,

*publicè disputabit*

SIGISMUNDUS Kisling

Nordlingâ-Rhætus

ad diem 21. Augusti horis antemerid.

*In Auditorio minori.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXIX.





05 A 2293

### Continuatio.

**P**ostquam in primâ nostrâ Exercitatione de virtute in genere disseruimus: ordo postulat, ut Principia humanae-  
rum actionum evolvamus. Nam & ita recepimus antea,  
& ipsa rei natura sic ut faciamus, jubes. Sint itaq; cum Deo  
Precepta.

1. Actionum humanarum principia sunt quinque:  
**S**pontaneum, **E**lectio, **C**onsultatio, **V**oluntas & **L**iberum arbitrium.
2. Spontaneum est, cuius principium est in ipso agen-  
te & sciente singulas actionis circumstantias.
3. Electio est præmeditata appetitio eorum, quæ in  
nostrâ sunt potestate, & per nos fieri possunt.
4. Consultatio est diligens inquisitio mediorum,  
per quæ in agendo ad finem propositum pervenire pos-  
sumus.
5. Voluntas est boni cum ratione appetitio.
6. Liberum arbitrium est facultas hominis, quæ  
arbitratu nostro in finem tendimus, ut aliquid agere  
vel non agere queamus.

### Explicationes.

1. §. Scimus ex præcedentibus, causam propinquam virtutis esse actionem humanam, mediocritatis vinculo constrictam cre-  
broque iteratam. Hanc ut comparemus præter naturalem pro-  
pensionem & doctrinam requiritur & adsluetatio, hoc est, actio-  
num virtuosarum exercitium sæpe iteratum. Quod ipsum Philo-  
sophus proximum virtutis indigit principium.

2. §. Hæc actio ut virtuosa dici mereatur, certa requiruntur principia, quæ admodum necessaria cognitu sunt in Ethicis. Nam 1. ex his pendet omnium actionum æstimatio, earumque laus & vituperium indè procedit. 2. Suppedant totius Ethicæ funda-  
menta; ostendunt enim & virtutes & vitia esse spontanea, &  
utrumque in nostrâ potestate situm, ut boni vel mali efficiamur

3. §. Primum itaq; quod attinet, ad actionem spontaneam re-

quiritur, ut principium non sit extra agentem, sed in ipso, scilicet ratione dominij; sive enim inhæreat primario agenti, sive non, parum interest, modò consistat in potestate utentis. Hinc instar Corollarij sequitur, à virtuosis actionibus excludi: 1. quæ jussu alterius exequimur. 2. actiones violentas. Actio enim virtuosa non debet quacunque ratione latere agentem, ne quidem secundum unam aliquam primariam circumstantiam. Quamcunque ergo actionem, in se laudabilem, quis inscius perpetrat, virtuosa censi nequit.

4. §. Spontaneo opponitur Invitum, quod quispiam vel vi coactus, vel per ignorantiam admisit. Hoc ipsum est geminum: naturæ alterum, alterumq; cognitioni contrarium, quia spontaneum sequitur vel naturam rerum, vel cognitionem. Hinc spontaneo priori invitum violentum, posteriori invitum per ignorantiam adversatur. Violentum dicitur, cuius principium est extra agentem, ita ut is, qui agit vel patitur, planè nihil ad actionem conferat. Tria ad ejusmodi requiruntur actionem: ut principium, quod movet vel ad agendum, vel patiendum, sit extrinsecum, validum & sufficiens ad motum violentum perficiendum, & denique, ut agens vel patiens nihil adjumenti ad illam conferat actionem.

5. §. Porro violentum est vel simpliciter tale, vel secundum quid. Illud declaravimus; hoc autem est, quando quis metu majoris mali evitandi, vel spe majoris boni consequendi, vel aliâ necessitate urgente, movetur ad aliquid suscipiendum vel agendum, quod alias nunquam ficeret. Ita mercator ad evitandum periculum merces suas projicit in mare, & viator latronibus pro vita redimendâ certam pecunia summam solvit.

6. §. Oritur hinc tertia actionum humanarum classis, quas mixtas appellant; quia partim voluntariae sunt, partimque invitæ. Haec considerantur vel sine circumstantiis, vel respectu circumstantiarum. Priori modo magis invitæ videntur, quam voluntariae; has enim nemo suâ sponte susciperet, hujus si voluntas esset libera. Sic sanæ mentis homo res suas absque gravi casu non abjicit, neque semetipsum voluntario aliquo malo afficit. Posteriori modo consideratae magis sunt voluntariae, quam invitæ; i. harum enim principium est in agente. Sic mercator ipse manus admoveat mercibus

cibus in mare projiciendis, utque alij idem faciant, áutor est. 2. eb  
has nonnunquam jure laudamur, nonnunquam rectè reprehendi-  
mur. 3. Harum circumstantiae in nostrâ sunt potestate atque ele-  
ctione. Nam datur agendi optio, alterutrum liberè eligendi vel  
negligendi, faciendi vel respuendi. Sic mercator, exortâ tempe-  
state, merces suas vel retinere potest, si de vitâ magis periclitari  
velit, nec abjecere, si minus velit periclitari.

7. §. Non obstat, quod hæc electio aliquid mali involvat.  
Quamvis nemo volens malum eligat, adeoq; electio & voluntas  
per se sint tantum rerum bonarum: per accidens tamen etiam ad  
malum referuntur, quatenus ex duobus malis minus eligunt. Hoc  
ipsum rationem boni induere dicunt, quamvis sit malum. Ita  
nec obstat pœnitentia, quæ factum hoc sequitur. Utut hæc ipsa  
videatur ostendere, factum fuisse invitum, nihilominus tamen  
spontaneum est; quia hæc pœnitentia naturam facti non immu-  
nat, quod hoc ex eo tempore aestimetur, in quo perpetratur; non  
ex eo, quod consequitur factum.

8. §. Harum mixtarum actionum quatuor numerantur gene-  
ra: 1. est earum, quæ laudem merentur: scilicet ubi indecorum  
quidpiam ob magnum aliquod bonum consequendum, vel majus  
aliquod malum avertendum absq; scelere committitur. Hujus  
loci est factum Solonis insaniam simulantis, quò feliciùs & absque  
periculo legem de bello contra Megarenses non renovando ab-  
rogaret.

9. §. Secundum genus est illarum, quæ reprehensionem me-  
rentur, quod, sepositâ honestate, exigui alicujus commodi gratiâ  
turpe quidpiam committatur. Sic Esavus jus primogeniturae ob-  
vile pulmentum fratri suo vendebat. Huc referimus omnes  
avaros, sordidos, scurras, adulatores, aliosque leves homines, qui  
vel voluptatis, vel favoris, vel pecuniæ, parvique lucelli causâ mi-  
nus honesta & turpia quæque faciunt aut perforunt.

10. §. Tertium genus est earum, quæ veniam merentur: quan-  
do videlicet cruciatum aliarumve gravissimarum causarum im-  
pulsu aliquid contra decorum committitur: ut si servus tormentorum  
gravitate adactus domini consilia revelet.

11. §. Quastum denique genus dicitur esse earum, quæ neque excusationem, neque veniam merentur: quando vel in aliorum gratiam, vel ad evitandam pœnam; vel ad injuriam vindicandum aliquid agitur, quod cum scelere & pietate conjunctum est; ut si quis ob acceptum honorarium injustos in judicio absolvit atque innocentes damnat: aut spe honoris principem hostibus prodit, aut meriti carceris, amissionis bonorum, exilij & mortis fidem abnegat, aliudve flagitium committit.

13. §. Invitum per ignorantiam dicitur, cuius principium est ignorantia singularum circumstantiarum, & eum, qui fecit, post pœnitentem. Ignorare & nescire differunt; illa enim ignoramus, quæ scire possumus, vel debemus: nescimus ea, quæ planè scire non possumus.

14. §. Hæc ignorantia est varia. Nam 1. alia est *pura*, aliaque *afflictiva*. Illa habet subsequentem dolorem, hæc non. 2. Alia est *juris*, quæ & universaliis dicitur, quando quis honestatem, finem atque utilitatem cuiusvis actionis, jura civitatis aut officij demandati partes ignorat; aliaque *facti*, quam etiam Particularēm vocant, quando ignoramus singulares quasdam circumstantias, in quibus totius actionis vis præcipue consistit, quasque agens ante actionem prævidere aut præcavere non potuit.

16. §. Harum circumstantiarum numerantur octo: 1. est *rei*, quæ agitur. Sic inter loquendum verba quædam per imprudentiam excidunt, quæ proferre nunquam cogitavit. 2. *Personæ illius*, cum quâ nobis est negocium. Ita Isaacum insciūm benedictionem primogenituræ contulisse in Jacobum, qui tamen non erat primogenitus, ex sacris literis Theologi docent. 3. *Objecti*, circa quod versamur: ut quando Cephalus maritus, emissio jaculo, conjugem Procrin inscius interfecit. Ovid. Metam. lib. 7. fab. 14. 4. *Loci*, ut si quis in sylvâ prohibitâ glandes colligeret, ignorans, id esse interdictum. 5. *Temporis*: ut si quis actui alicui non interesset, quod ignoraret, eâ ipsâ horâ hunc celebrari actum. 6. *Instrumenti*, quo in agendo utimur. Ita aliquis alteri oculum effudit hastâ, quam præpeditam ignorabat. 7. *Causæ finalis*, ad quam quævis actio dirigitur. Sic ægrotan tiphar maca ad sanitatem restituendam offert medicus, qui ignorat, ægrotum ob amissas corporis vires istud

istud non posse sustinere. 8. Modus agendi. Sic aliquis alterum fuste aut gladio leviter saltem attingere cogitat, quem tamen per ignorantiam graviter quandoque percutit aut vulnerat.

16. §. Hæc circumstantiæ ( quæ omnes simul & semel ignorari non possunt, nisi agens planè fuerit fatuus, sive etiam furiosus ) despescuntur in principales & minus principales. Principales dicuntur, quæ rem & actionem plurimum juvare, vel impedire, vel variare, adeoque culpam quandoque excusare possunt, ut res ipsa & finis. Minus principales sunt reliqua omnes.

17. §. Hæc præter nota, quod aliud sit, ignorantem agere, aliud que per ignorantiam agere. Ignorans agere id dicitur, qui honesta & turpia quidem novit optimè; eo ipso tamen, quo agit hoc, ignorat & non attendit, quid agat. Illa ipsa tamen ignorantia non est causa malæ actionis. Sic ebrius ignorat quidem se peccare, ignorantia tamen non est causa peccati, sed ebrietas, per quam sibi hanc acquisivit ignorantiam. Per ignorantiam agere id dicitur, cui simpliciter ipsa ignorantia fuit causa actionis, ita quidem, usi nisi accessisset ignorantia, actio illa patrata non fuisset.

18. §. Quibus ignorantiae divisionibus præmissis, sequentia Corollaria indè possunt extrui:

I. Ignorantiam universalem seu juris non reddere factum invitum, neque mereri veniam. Nam causa delicti est voluntas agentis, qui noluit inquirere ea, quæ ante suscepit actionem maximè scire & debuisse & potuisse.

II. Ignorantiam particularem sine pénitentiâ factum invitum non reddere. Nam, quamvis agens ignorans egerit, cum tamen eum facti non pœniteat, hinc colligitur, voluntatem faciendi non defuisse, sed tantum ignorantiam occultari.

III. Ignorantiam facti, quam pénitentia comittatur, factum reddere invitum, veniamque mereri. Causa enim istius delicti non est in voluntate agentis, sed in circumstantiâ aliquâ rei, quam agens ignoravit: alias enim ita non egisset.

IV. Ea, quæ quis ignorans facit, non esse dicenda invita, neque etiam ullam promereri veniam. Nam talis ignorantia semper adjunctam haberet regalę, cum agens propriâ culpâ eam ignorantiam sibi conciliaverit.

19. §. Al

19. §. Alterum actionis humanæ principium ponitur Elec-  
tio, quæ virtuti ita cognata est, ut in ejus definitione ponatur: imò  
ex eâ mores hominum magis cognoscantur, quam ex ipsis actioni-  
bus, quæ possunt esse simulatae ac fictæ. Dicitur appetitio præme-  
ditata, ne sine consilio ad actionem festinemus. Additur eorum,  
quæ à nobis fieri possunt, ut excludantur impossibilia, quæ in no-  
strâ potestate minimè consistunt; impossibilia enim possumus  
quidem velle, non tamen eligere.

20. §. Hinc hoc sequitur Corollarium: Electionem non esse idem,  
quod spontaneum, neque cupiditatem, neque iram, neque voluntatem,  
neque denique opinionem. Non primum, quia pueri etiam  
& bestiæ sponte agere dicuntur, non autem ex electione. Nam  
hæc ex objectis pluribus inter se collatis liberè unum appetit. Ita  
ob eandem causam neque secundum neque tertium. Non quar-  
tum, quia voluntas potest esse impossibilium, quæ in electionem  
non cadunt. Non denique opinionem; hæc enim potest concepi  
de omnibus rebus, sive revera sint, sive non sint, nec esse possint.

21. §. Tertium principium dicitur deliberatio, quæ electio-  
nem præcedit, & sine qua nihil eligere debemus. Differt ab elec-  
tione 1. *Subiecto*. Consultatio enim est in intellectu: electio verò  
adjunctam insuper habet voluntatem. 2. *Tempore*. Consultatio  
enim præcedit, electio sequitur. 3. *objecto*. Consultatio versatur  
circa res adhuc incertas: electio circa res plerunque certiores, scili-  
let per præcedentem deliberationem determinatur.

22. §. Objectum consultationis sunt res, quæ sub consulta-  
tionem cadunt, hoc est, negotia humana in vita agenda, in nos-  
strâ potestate sita, non nihil incerta, & quidem ea tantum, quæ non  
sunt fines, sed media, & ad nos propriè pertinent, in quibus conse-  
quendis & efficiendis seu fugiendis & mutandis nos ipsi aliquid  
præstare possumus, vel posse videmur. Hinc sequitur, excludi-  
æterna & naturalia, aliena, fortuita, præterita, & quæ per nos non  
possunt effici, aut quæ per se sunt certa & manifesta.

23. §. Modus consultandi consistit in *initio*, *medio* & *fine*.  
Circa initium duo sunt consideranda: 1. ut in rebus arduis ad scisca-  
mus consiliorum socios, quos oportet esse bonos, prudentes & nobis  
amicos. 2. ut certum nobis finem proponamus, ad quem, velut ad i-  
scopum,

scopum, totam dirigamus deliberationem, ne consultatio sit frustranea.

24. §. In consultatione ipsâ, quæ est de mediis ad finem ducentibus, perpendimus, quænam sint illa media, & quomodo his sit utendum. Quoad prius, tria notabis, mediorum numerum, qualitatem & delectum. Pauciora pluribus sunt præferenda; in his enim facilius decipi possumus. Circa qualitatem quærimus, num sint licita, vel illicita, honesta vel turpia, facilia vel difficultia, possibilia vel impossibilia. Hanc considerationem excipit delectus mediorum. Et hîc pauciora pluribus, licita illicitis, honesta, in honestis, faciliora difficultoribus, possibilia impossibilibus sunt præponenda.

25. §. Circa mediorum usum annota hæc: 1. media eousque investiganda esse, donec ad ultimum aliquod perventum fuerit, sine quo cætera stare nequeunt. Ab hoc fit actionis initium. Nam quod in deliberando est ultimum, id in operando est primum. 2. Perpendendum esse, utrum negotium propositum per nos solos effici possit, nec ne. 3. Prospiciendum esse de commodis instrumentis, quibus ad actionem expediendum opus sit, & quomodo hæc tractanda. Hæc autem sunt vel animata, vel inanimata, de quibus in Oeconomicis agunt.

26. §. Post consultationem ulterius circumspice, num negotium per te & auxilia tua fieri possit, an minus. Si humeris est impar, abstine, ne dedecus reportes. Si per te tuosque poterit expedi, mature suscipe & de oportunâ executionis occasione cogita. Cautionem tamen adhibe, ne quid præcipitanter agas, quod melior sit consultationis tarditas celeritate temerariâ.

27. §. Quartum actionum humanarum principium dicitur voluntas. Quæ vox notat vel actum primum, hoc est ipsam facultatem, vel actum secundum, seu facultatis operationem. Hîc posterior acceptio locum invenit. Nam in Ethicis de voluntate non sumus solliciti, nisi quatenus operatio ipsius ad virtutum actionem conducit.

29. §. Objectum voluntatis est omne bonum, sive sit verum, sive apparet. Nam sâpe quidam malum aliquod volunt, non quatenus malum est, sed sub ratione boni; contrâ bonum aversantur,

tur; sed sub specie mali. Hoc autem fit per accidens, quatenus  
à falsâ specie, quæ in bono aut malo apparet, seducuntur decipiun-  
turque; quia unusquisq; de bono & malo judicat ex proprio suo  
habitû. Viro bono secundum rectam rationem judicanti id vide-  
tur esse bonum vel malum, quod reverà tale est: sed illi, cuius ju-  
dicium voluptas corrupit, illud videtur bonum vel malum, quod  
reverà tale non est.

29. §. Quintum humanæ actionis principium est liberum ar-  
bitrium, quod consideratur h̄ic non Theologicè, sed Philosophicè,  
notatque internum liberumque agendi in homine principium.  
Hæc libertas agendi formaliter non est actus ab animâ transiens;  
sed res quæpiam in eâ permanens, & quidem potentia, in solâ ho-  
minis voluntate hærens.

30. §. Libera est voluntas 1. *quoad objectum speciale*; quia  
duo contraria, hoc est vitium & virtus ipsi proponuntur; ad quo-  
rum neutrum est determinata 2. *quoad actus ip/os*; voluntati  
enim virtutem sequi, vel non sequi, vitium sectari, vel aversari lici-  
tum est, & ad neutrum cogitur.

31. Hinc emanat sequens Corollarium: *Voluntatem & volun-  
tatis libertatem inter se realiter non differre.* Nam voluntas for-  
maliter nihil est aliud, quam potentia in agendo libera. Interim  
operâ mentis nostræ voluntas concipi potest, veluti compositum  
quoddam, suo constans materiali suoque formalis. Ilud est po-  
tentia, hoc potentia libertas. Utrumque conjunctum est libera  
potentia, quæ, sui actus domina, illum liberè producere & non  
producere potest.

## QUÆSTIONES.

### *Questio Prima.*

An ea, quæ ex ira, cupiditate, aut aliquo alio ve-  
hementiori affectū fiant, rectè dicantur  
invita?

1. Negamus ob absurdâ, quæ indè sequuntur. Sequeretur enim  
primo, omnia, quæ à pueris & brutis fiunt, esse invita; bruta enim  
& pueri solis ducuntur perturbationibus, neque ex ratione agere  
possunt,

possunt, cùm eâ vel omnino careant, ut bruta animalia, vel ejus usum non habeant, ut pueri. 2. non solum turpes, sed & multas honestas actiones, ex bono affectu profectas, esse invitae nominandas. 3. Omnia, quæ ex irâ aliisve animi perturbationibus fiunt, esse molesta, cùm tamen, experientiâ teste, videantur jucunda, & in ipsâ irâ quædam jucunditas ob vindictæ cupiditatem reperiatur. 4. Iram, cupiditatem, reliquosq; affectus suum principium non in homine, sed extraneum habere: cùm tamen invita propterea dicantur ea, quorum principium est extra agentem. Igitur si actiones ex affectibus ortæ dicantur invitæ, utique principium eorum non erit quærendum in homine, sed potius extra hominem. Quæ omnia cùm sint falsa, falsum est, quòd actiones ex irâ, cupiditate &c. profectæ dici debeant invitæ.

*Quæstio Secunda.*

**An ista actio sit bona, cuius finis est bonus?**

1. §. Pontificij multos ritus cultusque veteres immutarunt ac novos instituerunt, prætendentes, quòd omnia ex bona intentione fiant, adeoque mala esse nequeant. Verum ex nudâ agentis intentione de qualitate & conditione actionis judicandum non est. Ita non fas est alicui, proximum vulnerare, ut ei beneficiat: latrocinium exercere, ut suppetiæ contra hostem mittantur: aliis sua bona eripere sive clam, sive violenter, ut eleemosynæ dentur. Hæc & similia scelerata prætextu bonæ intentionis exculari minimè possunt.

2. §. Nam sic inferimus: *Quodcumque per se malum vitiosum atque in honestum est, illud per bonam intentionem agentis tanquam ex irinsecum quid bonum, reddi nequit: Ejusmodi actiones, quarum exempla supra protulimus, sunt tales.* E. Minor patet; quia actio nequit esse bona, quæ tantum abest, ut convenientiam cum lege agnoscat, ut potius pravitatem à lege deflectentem sectetur.

3. §. Hinc quidam non sinistre docent, quòd ad cujusvis actionis bonitatem objectum honestum, medialicita & finis boni intentio requirantur. Horum unum ubi deest, actio virtuosa dici nequit. Hinc concludimus, solam intentionem, utut fuerit bona, bonam actionem reddere non posse,

4. §. Ita quærunt, num actio absolutè & per se mala existens, pro ratione circumstantiarum nullo modo neque bona fieri, neque censeri queat bona. Hoc qui affirmant, afferunt projectionem mercium in mare & sectionem alicujus membra. Minus malum, ajunt, cum majori comparatum obtinet rationem boni. Huic ut satisfaciamus, notabimus distinctionem inter malum Physicum & Ethicum: seu, inter malum noxium seu molestum & turpe seu dishonestum. Affirmativa vera est de posteriori hoc maligne genere, non de priori.

5. §. Quidam dicunt, hanc quæstionem esse intelligendam de absolutè malis, non de his, quæ in comparatione sunt posita; hæc enim variis modis pro ratione variarum circumstantiarum considerantur ac dijudicantur. Hinc secundum hos non simpliciter pugnant, *absolutè malum in suo genere & alicui bonum*. Quæ absolutè sunt (scilicet Physica seu in genere noxiiorum) semper sunt mala in suo definito gradū & nunquam eligenda; comparatè tamen cum aliis minus mala, & sic bona adeoque eligibilia dici possunt.

6. §. Nonnulli huic objiciunt sententiæ sequens: *Quod non est bonum, neque melius dici poterit: Projicere merces in mare, non est bonum. E. neque melius dici poterit, negat etiam respectivè*. Ad hoc stabiliendum allegant Canones Topicos: à comparativo ad positivum affirmativè valet consequentia, & à positivo ad comparativum negativè tantum. Vide responsonem in Titulis Reg. Phil. Danielis Sthalij p. 351. & 352. quæ hūc tendit, quod comparativus hic impropriè sumatur.

### Questio Tertia.

## An electio sit finis vel mediorum?

Aristoteles lib. 3. Ethic. Nic. cap. 2. electionem à voluntate separat; quia voluntas respicit actionis finem: electio vero est mediorum ad finem illum ducentium. Hinc sequitur, electionem propriè non esse finis, sed mediorum. Hoc ita probamus: Quarum rerum est deliberatio, earum etiam electio; hæc enim cum illa individuo cohæret nexū. Atqui non finis, sed mediorum

est

*est* deliberatio. Ita dux non multum deliberat de victoria, sed de modo istam consequendi.

### Quæstio Quarta.

## Num electio etiam brutis & pueris competat?

1. §. Utrumque negamus. Non de brutis dicitur: (1.) Quia in brutis non datur potentia ad oppositorum utrumque determinata; natura enim illorum, scilicet determinationis hujus causa, uno eodemque modo semper agit. Ubi autem electio, ibi datur potentia ad oppositorum utrumque indeterminata; quia idem eligere dicitur, qui cum utrumque facere queat, hoc solum facit, illud non. Quam libertatem potentia rationalis sibi vendicat sola. (2.) quia destituuntur ratione, quam solâ homo à brutis distinguitur.

2. §. In contrarium quam plurima objiciuntur: sc. admiranda planè animalium opera, immò nonnunquam operibus humanis multis modis superiora. Ita nota est prudentia apium, formicarum, canum &c.

3. §. De pueris affirmatur, si electio latè sumitur pro quovis appetitu, quo sensuum beneficio una res alteri anteponitur; præferunt enim lusum lusui, salubre noxio &c. Negatur, si strictè accipitur pro electione, quæ rationis judicio dirigitur; quia non ducuntur ratione. Hinc sequitur, *mores magis ex electione, quam actione judicandos esse, naturamque neque electione neque consultatione uti, adeoq; brutorum opera non esse virtutes, sed virtutum simulacra.*

### Quæstio Quinta.

## An voluntas possit appetere impossibilia?

Omnino ajenti hic favemus. Multa enim optamus, quæ nobis bona & commoda judicamus, quæ assequi tamen nequimus; quia voluntas versatur circa ea, quæ nobis videntur esse bona. Ita optamus omnes pacem secundum istud Vergilianum: *Nulla satus bello, pacem te poscimus omnes: veletiam: ô mihi præteritos*

vicos referat si Juppiter annos! Alij fortunati loculos, alij Gygis annulum, alij alia exoptant albæque gallinæ filij audire cupiunt. Dn. D. Jacobus Martini, celeberrimus Professor & venerandus hujus Academiæ Senior, nuper in quadam disputatione ex Aristotele distinguebat inter βούλησιν & βούλευσιν; illam dicebat esse impossibilem, hanc verò rerum in nostra potestate existentium. Utramque addebat esse voluntatis, productis in medium præcedentis membra exemplis.

### Quæstio Sexta.

#### An voluntas possit cogi.

1. §. Geminam h̄ic nota distinctionem: 1. Coactionem dupl̄citer sumi vel pro impeditione ejus, ad quod res alias secundum naturam proclivis est: ut si lapidi descendenti columna supponatur, ne deorsum feratur: vel pro impulsione ad actum naturali inclinationi contrarium: ut si lapis sursum projiciatur, cogitur contra naturam suam ascendere. 2. Voluntatis actus esse vel *elicitos* vel *imperatos*. Illi immediatè, ut velle, eligere &c. hi mediatè, ut inferiorum potentiarum actus, à voluntate profiscuntur.

2. §. Vox coactionis priori modo accepta voluntati competit respectu cuiuslibet actus; partim quia multa (ut profundus somnus, apoplexia &c.) cognitionem nostram impedire queunt: impedita verò cognitione, etiam voluntas impeditur; hæc enim in objectum cognitum fertur: partim quia omnis virtus à potentiori impediri potest. Ergò quia voluntas se superiorem agnoscit, sc. divinam voluntatem, mirum non est, ipsam s̄æpe impediari, quò minus voti compos evadat. Si verò Coactionis vocabulum posteriori sumatur modo, dicimus, voluntatem non posse cogi, quoad actum à se proximè elicitem; actus enim, qui est secundum potentiae inclinationem, non potest esse violentus. Elegere verò est secundum inclinationem voluntatis: imò est ipsa inclinatio voluntatis: posse verò cogi quoad imperatum; voluntas enim imperat actus aliarum virium. Constat autem hominem posse cogi ad actionem voluntatis imperio repugnantem. Ita, qui vult non videre ac propterea claudit oculos, compellitur videre & cupiens dormire, compellitur surgere.

### Quæstio

*Quæstio Septima.*

**Unde voluntas ad volendum excitetur,  
moveatur & determinetur?**

1. §. Antè, quām quid certi hīc statuamus, quædam huic quæstioni multum lucis afferentia sunt prælibanda. Ergò (...) tenendum, aliud esse movere, allicere & inflammare voluntatem, aliudque eidem imperare, & ad hoc vel illud heriliter determinare.

2. Voluntatem considerari posse, quatenus simplex est, & quatenus composita est: illic est ὁραιότης, hīc verò ὁραγέλιον. Quæ ὁραιότης vel cum habitū conjuncta est, ut in virtutibus & vitiis, vel sine habitū. Illic diurna est, hīc minus constans. 3. Volitiones objectum habere vel intrinsecum, vel extrinsecum, & vel ad finem vel ad media. Utrumq; volitionis genus vel cum electione, vel sine electione expeditur. 4. quando de motione & determinatione voluntatis agitur, quæri vel de actuum exercitio, vel de eorumdem specificatione.

2. §. His præmissis nullum planè dominium ulli facultati vel objecto in voluntatem concedimus; velle enim voluntati tam necessarium est proprium, quām intellectui intelligere. Voluntas autem velle non dicitur, nisi spontaneo quodam motū sese inclinet ad ea, quæ appetit. Voluntas ergò, quatenus vult, non invita vel coacta vult, sed volens. Quis enim non volens velle & expertere aliquid dicitur? Nam in eo, quod vult voluntas, non potest non esse voluntas: idque adeò quidem, ut etiam nolitio ipsa sit voluntas quædam, quatenus is, qui renuit aliquid, voluntate quædam renuit.

3. §. Quamvis autem prorsus negemus, omne imperium in voluntatem, attamen ab aliis etiam excitari, moveri, in actum deduci & ad hoc vel illud flecti posse, Philosophi communiter statuunt. Causæ, quibus voluntas moveri dicitur, aliæ sunt principales aliæque adjuvantes. Principalis est intellectus practicus, qui movet voluntatem vel mediately, vel immediate. Mediately movet per objectum à se cognitum, voluntati verò sub ratione boni vel mali propositum, quod illam ad se vel recipiendum vel negligendum allicit. Immediate movet intellectus, quando proposi-

tum

tum objectum voluntati vel persuadet vel dissuadet, prout ratione  
sive rectâ, sive corruptâ de illo judicat.

4. §. Illud semper necessarium videtur in omni positione, adeo  
ut eo absente potentia in actum deduci nequeat: hoc in omni pro-  
cessu non observatur, sive actuum exercitium, sive eorundem  
specificationem spectemus. Nam in actuum exercitio voluntas  
quandoque semetipsam movet & ad agendum applicat; quia est  
liberæ potestatis, ut seipsum movere & ad agendum applicare  
queat. In actuum specificatione voluntas non semper eodem  
modo ab intellectu movetur; quandoquidem res, quæ sub deli-  
berationem cadunt, non semper *ωραίητικῶς*, sed saepe *ἀωραίητως*, expetuntur, præsertim cum in eas voluntas naturâ suâ  
feratur. Hoc ipsum contingit in volitionibus tam iis, quæ objec-  
tum habent intrinsecum, quam iis, quæ objectum agnoscunt  
extrinsecum.

5. §. Causæ adjuvantes docendi gratia distingui posse viden-  
tur in externas atque internas. Ad externas referimus tum admoni-  
tionem & suasionem, quâ ad agendum bene agens exstimulatur,  
tum educationem atque assuetationem, sive vulgarem, sive pec-  
uliarem; utraque enim fieri videtur altera natura. Internis ad-  
numeramus 1. naturalem inclinationem vel totius hominis, vel  
animi seu cordis. 2. Πάθος generale seu omnium facultatum ani-  
mæ voluptatem & dolorem, & speciale seu perturbationem cor-  
dis & appetitum concupiscibilem. 3. Dispositionem practicam  
animæ ratiocinantis. Hæc vel firma est, ut habitus, vel infir-  
ma, ut specialiter dicta dispositio.

6. §. Hæc sunt causæ moventes atque excitantes voluntatem  
tum ad operandum, tum ad hoc, vel illud agendum. Intellige  
tamen motionem non *præceptoriam*, sed *suaferiam*, *indicativam*,  
non *imperativam*, quæ potestatem liberam non evertit. Libera  
enim est voluntas nostra, non tamen bruta, nec cœco quodam  
fertur impetu, sed suâ movetur ratione. Igitur quamvis intel-  
lectus moveat, quid agendum sit, & voluntas monenti obse-  
quatur, non tamen sequitur coactè, sed liberrimè; quia suafio  
intellectus non cogit, sed amicè invitat.

7. §. Hinc

7. §. Hinc patet, quid sit respondendum ad sequentes diversorum opiniones. I. est eorum, qui determinationis hujus munus affectibus adscribunt. Cum his videtur Scaliger Exer. 307. §. II. eorum, qui voluntatem ab ultimo rationis iudicio determinari existimant. Hanc sententiam cum Thomistis amplectitur Bellarminus. III. illorum, qui statuunt, voluntatem tum seipsum, ad volendum aliquid, tum intellectum ad intelligendum movere. Huic assertioni subscribere videtur Scaliger Exerc. 307. s. 25.

8. §. Primam quod attinet, non possumus talem movendivm, quæ cum imperio quodam conjuncta est, solis adscribere affectibus; quia foret iniquum superiorem potentiam inferiori esse subjectam. Interim moveret appetitus voluntatem non directè, sed indirectè: scil. ex parte objecti atque intellectus intervenerunt, qui objectum vel acceptandum, vel negligendum proponit.

9. §. Quoad alteram opinionem, voluntas in suis actionibus liberis non necessariò determinatur à practico intellectus iudicio, sive quoad exercitium, sive quoad speciem actus; posito enim practico iudicio intellectus, adhuc manet libera quoad exercitium actus. Nam, quamvis recta ratio judicet, hoc aut illud esse eligendum, potest tamen voluntas suspendere actionem & non eligere, quod intellectus judicat in praxi esse eligendum. Imò quoad speciem actus potest contrarium eligere; hoc enim est discriminè inter potentias naturales & liberales, quòd istæ, positis omnibus requisitis, necessariò determinentur ad agendum ita, ut non possint non agere: liberae autem non determinentur, sed possint agere & non agere. Voluntas est potentia libera. E. De aliis absurdis hīc non dicam.

10. §. Tertia opinio suo modo admittitur. Nam ad objecti alicujus appetitionem sufficit, si apprehendat illud sub ratione boni. Hoc locum invenit in repentinis voluntatis motibus, qui sine præviâ deliberatione fiunt, quòd ad hos simplex aliquujus boni apprehensio sufficiat. Idem contingit in actibus deliberatis: ut quando occurruunt duo bona, ex quibus alterutrum

C

est

est eligendum, intellectusque speculativus judicat, alterum esse turpe, alterumque honestum, hincque practicè judicat, honestum turpi esse præferendum: tunc voluntas, positâ libertate, eligere potest bonum turpe, relicto honesto, ut intellectus judicet, honestam turpi esse præferendum. Hinc illud Medæ apud Ovidium: *video meliora proboque, deteriora sequor.*

*Quæstio Octava.*

**An liberum arbitrium sit actus?**

Bellarminus octo diversas Scholasticorum sententias enumerat, primamque dicit esse eorum, qui putant id consistere propriè in actu. Nos ab hâc sententiâ abducit, quod actus ab animâ transiens non insit à naturâ, sed à nobis producatur. Liberum autem arbitrium esse homini naturale, superiora testantur.

**Errata.**

§. 6. lin. ult. pro nec lege vel. §. 11. lin. 4. impietate. q. 4. §. 1.  
lin. 3. indeterminata. q. 7. §. 4. volitione.



**Ad**

Excellens et exquisitus  
Humanissimus Dn. Re-

# Ad Humanissimum Dn. Responentem de actionum humanarum principiis disputantem.

**Q**ui vehitur navi, Ventorum computat ortus;

Nec se intra navim credit eundo vehi.

Cynthia cur pleno moreat rogo lumine remos?

Aestusq; alterni que sit origo, rogat.

Aequum igitur magis est, Virtutum noscere caussas,

Quantum à Naturā distet & Arte Deus?

Quis ciēat primos in mente & sensibus actus,

Quām vitio radix subdita prima siet?

Hac terzā & cultā, spes est decerpere florem;

Hic cole, Kisslingi, quod Tibi reddit apex.

Joh. Hulsemannus D.

Præstanti & pio Juveni, meo per integrum  
annum indefessi laboris Collgæ.

**S**i quis laudandus, bene quod sudavit & alsit,

Debentur laudis præmia magna tibi.

Nordlingam linquens petis hæc Academica tecta,

Pes malus hoc quamvis est remoratus iter.

Non

Non recitabo malum, quod tecta paterua creârunt,  
Quod quondam memori conqueris ore mihi.  
Hic mala quoctuleris, soli mihi nota fuerunt,  
Hæc dum magna fames mænia nota premit.  
Te tamen hæc movere parùm, sint maxima quamvis,  
Quò minùs has Musas continuare velis.  
.Anni totius tu nullam deseris horam,  
Quâ docui Sophiæ dogmata quæque domi.  
Intrasti primus tectum: postremus abibas,  
Ut, quæ restabant, quærere cuncta queas.  
Hæc ita dum cumulas, doctrinæ crescit acervus,  
Auctus & à Jovâ cœlitus iste fuit.  
Nunc edis specimen, tenui me judice, primum,  
Hoc cùm me nuper te docuisse scias.  
Omine vade bono, & cathedram pede scandito fausto;  
Hostes te dicam vincere posse tuos.  
Non ego Turpilium cathedræ de sede reducam,  
Sed dignum, cuius cingat Apollo comas,

## Præses.

# F-T-M-I-S.

05 A 2293

ULB Halle  
003 783 553

3



V317 B.





**Farbkarte #13**

B.I.G.  
Black  
3/Color  
White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

199.  
*Ex Philosophiâ Practicâ*  
*de*  
**Humanarum actionum**  
*principiis,*  
*Duce Deo & Præside*  
**M. MICHAELE WENDELO,**  
Facult. Philosph. Adjuncto,  
*publicè disputabit*  
**SIGISMUNDUS Rißling**  
Nordlingà-Rhætus  
ad diem 21. Augusti horis antemerid.  
*In Auditorio minori.*  

---

*WITTE BERGÆ,*  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
**ANNO M. DC. XXXIX.**

